



TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS.



Loca Theologica sunt promptuaría quædam, sive domicilia, ex quibus sua Theologi depromunt argumenta: quæ appellatio ab Oratoribus et Philosophis deducitur, qui, post Aristotelem, locos communes proponunt, ex quibus ad omnem tractationem et disputationem argumenta probationesque eruuntur. Decem vulgo numerantur loci Theologici.

Primus est Scriptura; secundus, Traditio; tertius, Patres; quartus, Ecclesia; quintus, Concilia, præsertim generalia; sextus, Summorum Pontificum Decreta; septimus, Theologi; octavus, Ratio; nonus, Philosophi; decimus, Historici.

Singulos totidem in Dissertationibus ita prosequemur, ut in iis quorum major est autoritas, diutius immoraturi simus, alios rapitè delibaturi.



DISSERTATIO I.

De Scriptura Sacra.

SCRIPTURA sacra quæ tùm in Veteri, tùm in Novo Testamento continetur, est *verbum Dei* ab autore *Hagiographo*, afflante *Spiritu Sancto*, scriptum, utque tale ab *Ecclesia* nobis propositum. Dicitur 1°. *Verbum Dei*, in eoque cum Traditione convenit; 2°. ab autore *Hagiographo*; id est, à sancto *Scriptore*. 3°. *Afflante Spiritu Sancto*, sive, inspirante *Deo*; et sic ab *Ecclesiæ* definitionibus discrepat, quæ, dirigente quidem *Spiritu Sancto*, conditæ sunt, non verò ex *Dei* inspiratione; idcirco non sunt *Scriptura sacra*. 4°. *Scriptum*, ut à traditione distinguitur, quæ est *verbum Dei*, nobis non scriptum. 5°. *Ab Ecclesiâ*, ut *verbum Dei*, nobis propositum; quia *Ecclesiæ* est definire quinam sint *Libri Canonici* et *Divini*.

Cùm *sacrorum Codicum* veritatem, authenticitatem et integritatem in *Tractatu de Religione* satis exposuerimus, nunc superest ut disseramus 1°. de eorum autoritate et inspiratione; 2°. de modo quo fuerint inspirati; 3°. de *Scripturarum* canone; 4°. de *Sacrorum Librorum* textu; 5°. de divisione; 6°. de *multiplici sensu*; 7°. de *lectione Scripturarum*.



CAPUT PRIMUM.

De Scripturarum autoritate et inspiratione.

SI Deus Scripturas sacras inspiraverit, divina sit earum autoritas necesse est; hæc duo tam indissolubili nexu colligata sunt, ut unum ab altero disjungi nequeat: quis enim, nisi planè desipiat, divinum esse eum librum neget, qui ab inspirante Deo manaverit? Inspiratio autem est incitatio quædam interior, quâ Deus autores sacros impellit ad aliquid scribendam. Duo complectitur; nimirum animi illustrationem, quâ Scriptor ita dirigatur, ut omnem effugiat errorem; motionem voluntatis, quâ Deus eum ad scribendum, veritatique firmiter et constanter adhærendum efficaciter moveat.

Humanam tantum esse Librorum sacrorum autoritatem, qualem Cæsaris Commentariis, Ciceronisque operibus tribuimus, sententia est Paganorum; idem de Novo Testamento sentiunt Judæi. Utrumque Testamentum respiciat Deistæ.

PROPOSITIO I.

Sacri Codices sunt divinitus inspirati.

Prob. 1°. Illi Libri divinitus sunt inspirati; apud quos leguntur tum Prophetiæ eventu jam comprobatæ, tum Mysteria quæ non nisi revelante Deo, innotescere potuerunt, rationique humanæ sibi permissæ impervia sunt: atqui 1°. in Libris tum Veteris, tum Novi Testamenti passim occurrere veras Prophetias, eventu comprobatas, ex his apertum est, quæ in Tractatu de Religione jam diximus. 2°, Mysteria quæ rationis captum

superant in Scripturis contineri, ut Verbi incarnationem, nativitatem ex Virgine, Trinitatem Personarum in Deo, Christi Resurrectionem, Ascensionem in Cælos, repentinum Spiritus Sancti in Discipulos illapsam, nullus ignorat Christianus.

Prob. 2°. Ex demonstratis, ubi de Religione disputatum est, veri sunt, authentici et integri sacri Codices: atqui stare non potest eorum veritas, quin adstruatur eorumdem inspiratio; siquidem in his Deus exhibetur loquens, vel per se, ut in Pentateucho; vel per legatos suos, ut in Prophetis, quod ex solâ lectione patet; ergo collabente horum librorum inspiratione, rueret ipsorum veritas; et stante eorum veritate, pariter inconcussa stat eorumdem inspiratio.

Et certè si in referendis Vaticiniis et Miraculis veraces sunt sacrorum Codicum autores, tales etiam censendi sunt, cum in iis palàm profiterentur se à Deo motos esse ad scribendum: si enim fidem meretur autor in iis quæ memorat factis, ipsi etiam adhibenda est fides in scribendi autoritate quam sibi vindicat: atqui constat Vaticiniorum et Miraculorum, quæ in libris sacris referuntur, veritas; non minùs etiam certum est eorum autores apertè profiteri se, Deo imperante et inspirante, scribere, ut manifestum est ex his verbis apud eos tam frequentibus: *Hæc dicit Dominus Deus...* Factus est sermo Domini ad me dicens. Hinc illa Pauli verba: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, etc.* (2. Timoth. 3. v. 16.) *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* (Hebr. cap. 1. v. 1. et 2.) *Non voluntate humanâ allata esse aliquando Prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*; (2. Petr. 1. v. 21.) Ergo, etc.

Prob. 3°. Ecclesiam in proponendis fidei articulis errare non posse probatum sumus; si ergo

Libros sacros proponat, tanquam speciali Spiritus Sancti impulsu exaratos, de eorum divinâ inspiratione non licet ambigere: atqui Ecclesia Catholica in Concilio Tridentino congregata, sacrorum Codicum inspirationem, tanquam fidei articulum, proponit; siquidem Deum ipsorum autorem esse testatur, et eos anathemate percutit, qui hujusmodi libros, tanquam sacros, non susceperint: *Orthodoxorum Patrum exempla secuta* (Sancta Synodus), omnes libros, tam Veteris, quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit autor . . . pari pietatis affectu et reverentiâ suscipit, et veneratur. Deinde subjicit sanctorum librorum indicem, et sic concludit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgatâ editione Latina habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . anathema sit.* (Sess. 4. Decret. de Canonicis Scripturis.)

PROPOSITIO II.

Scriptura sacra quoad omnes et singulas partes divinitus inspirata est.

Hic nonnullos aggredimur Christianos, quibus visum est tum Vetus, tum novum Testamentum non fuisse quoad omnia quæ in his continentur, inspiratum; sed Sancti Spiritus afflatum aliquando sacris autoribus defuisse, qui plurima ex proprio ingenio scripsere. Ea fuit Erasmi, Ludovici Capelli et aliorum sententia. Grotius nullam pro Libris Historicis inspirationem admittit. Hanc solis Prophetis attribuit Spinosa.

Prob. nostra propositio: Tota Scriptura Veteri et Novo Testamento continetur: atqui utrumque quoad singulas partes fuit divinitus inspiratum.

1^o. Quidam Vetus Testamentum. Sanctus enim

Paulus sic Discipulum alloquitur: *Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus:* (2. Timoth. cap. 3. v. 15. 16. 17.) Agit hic Paulus de sacris litteris, quibus ab infantia imbutus fuerat Timotheus: atqui procul dubio non solum Prophetias didicerat; sed imprimis historias morumque præcepta, utpotè suæ intelligentiæ et ætati magis accommodata. Deinde inspirationem sacris litteris generatim tribuit Apostolus: atqui hoc nomine non solas Prophetias, sed et alios Veteris Testamenti libros etiam nunc Judæi intelligunt. Denique de ea Scriptura loquitur, quæ utilis est ad docendum, et arguendum; quæ ad salutem et perfectam justitiam hominem ducit: atqui hæc omnia non Prophetiis tantum conveniunt, sed et aliis Scripturæ partibus; ergo, 1^o. Vetus Testamentum quoad omnes et singulas partes à Deo fuit inspiratum.

2^o. Idem de novo Testamento asserendum est; tum quia nulla afferri potest ratio vel levissima, cur Vetus Scriptura potius inspirari debuerit, quam Nova; tum quia Christus Apostolis promiserat, fore ut Spiritus Sanctus eos omnia edoceret: *Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia;* (Joan. 14. 26.) tum quia Apostolis pollicetur Christus, ipsis à Spiritu Sancto suggerendum esse, quid coram tyrannis loquerentur, in judicium appellati. *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* (Matth. 10. v. 19. et 20.) Atqui si Deus Apostolis inspiravit quicquid responsi tyrannis dederint, quanto magis id fecisse censendus est in his quæ populis prædicarunt, et scriptis tradidit, cum præsertim non ignoraret

Apostolorum Scripta in Ecclesia sua olim pro fidei regulâ habitum iri?

Præterea testatur Apostolus, Evangelium quod prædicabat se non accepisse ab hominibus, sed à revelante Christo: *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelisatum est à me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem à Jesu Christo.* (Gal. cap. 1 v. 11 et 12.) Corinthios sic interrogat: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christus?* (2. Corinth. 13. 3.) Thessalonicensibus ita scribit: *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum; sed, sicut est verè, verbum Dei.* (1. Thessal. 2. 13.)

Denique nisi tum Veteris, tum Novi Testamenti libri, quoad singulas partes, dictante Deo, scripti fuerint, suo fine fraudabitur inspiratio; eam enim ob causam autores sacri fuerunt à Deo inspirati, ut certò nobis innotescat quid à nobis velit: atqui si quibusdam in Scripturæ locis defuerit inspiratio, jam deficit certa illa divinæ voluntatis testificatio; nulla enim pars erit de qua dubitari non possit, an sit verbum Dei: *Titubabit autem fides, si divinarum scripturarum vacillat auctoritas*, ait Augustinus; (Lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 37.) ergo, 2^o. etc., ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Objic. 1^o. Si in omnibus divina sit Scripturarum autoritas, singula quæ in iis leguntur præcepta, divina erunt; nulla humana, nulla ecclesiastica: atqui tamen illud falsum est; quis enim, v. g. divinam dixerit disciplinam quâ bigamos à sacris Ordinibus excludit Paulus, et quos tamen aliquandò per dispensationem admittunt præsules? ergo in omnibus divina non est Scripturarum autoritas et inspiratio.

Resp. Neg. maj. Præceptum enim aliquod non ideo censetur divinum, quia, inspirante Deo, scriptum fuit; sed necesse est ut à Deo immediate proficiscatur; quemadmodum facta quædam Deo moventi tribui non possunt, quia, jubente Deo, scriptis mandata sunt; alioqui scelera quæcumque contra Deum ipsum commissa, in eum tanquam autorem refundenda essent, si postquam facta sunt, Deo inspirante, scriberentur; quod absurdissimum est: aliud est igitur aliquid, volente et præcipiente Deo, fieri; aliud, inspirante Deo, scribi. Porro cum totam Scripturam à Deo inspiratam dicimus, illud ita accipiendum est, ut nihil in ea sit, quod suggerente Deo scriptum non fuerit; non autem eo sensu quòd Deus eorum omnium autor sit, quæ in Scripturis narrantur: fatendum est itaque præceptum Pauli quo bigami ab ordinibus excluduntur, ecclesiasticum esse, non divinum; sed illud nihilominus, inspirante Deo, scriptum fuisse constat; siquidem in iis libris continetur, quos ex omni parte divinos esse probavimus.

Obj. 2^o. Divina et inspirata non sunt quæ in Scripturis occurrunt inutilia: atqui non pauca hujusmodi reperias; qualia sunt quæ leguntur de cane Tobie, de penula et membranis quas repetit Paulus, de salutationibus quibus infarciuntur ejusdem Epistolæ; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Quando enim constat Deum rei alicujus autorem esse, quàmvis statim non videatur quo consilio facta sit, et quò spectet, pro ea tamen, quæ divinitati debetur, reverentiâ, persuasum nobis sit oportet, rem illam non esse inutilem. Sic, v. g. quia certum est Deum aspectabilis hujus mundi opificem esse, non dubitamus quin propter graves causas factum fuerit, quidquid in eo continetur, ipsa etiam animalia importuna, vel noxia, quorum usum nemo unquam fortè assequetur; nec ullus est tam impius, ut propter hæc

mundum à Deo conditum esse inficietur : atqui demonstravimus Deum esse librorum sacrorum autorem ; siquidem , eo inspirante , conscripti sunt ; ergo , etiamsi nonnulla in ipsis occurrerent , quorum utilitas nos fugeret , nefas tamen esset ea , tanquam otiosa et inutilia , spernere : illarum enim rerum utilitas pendet ex intima cum aliis connexionem quæ nos latet.

Quamvis autem hæc ratio satis esse videatur , ad singula tamen sic responderi potest : 1^o. quidem si , redeunte Tobia , canis præcurrens blandimento caudæ significaverit herum suum jamjam ad futurum , tam id referre potuit Historicus ad narrationis integritatem , quam scribere , domum intrante Tobia , patrem ejus statim præ gaudio exiisse , obviam filio occurrisset , effusis lacrymis eum osculatum esse , etc. Præterea in hujusmodi narratiunculis , quæ superbis hominibus videntur ridiculæ , mira quædam elucet simplicitas quæ Scripturis fidem conciliet. 2^o. Quod objicitur de penula , de libris et membranis , quæ ut sibi mittantur , Discipulum monet Apostolus , mera est cavillatio : si enim voluit Christus humanis infirmitatibus , quibus ipse obnoxius fuerat , suos Ministros subjici , nihil vetat quominus potuerit Paulus , vestem Troadæ relictam , quæ adversus aëris intemperiem in frequentibus itineribus indigebat , à Discipulo postulare , libros autem petendo , qui fortè sacri Codices erant , et membranas propriâ manu forsân scriptas , futuris Christi Ministris illustre dedit exemplum , ut inerti otio non torpescerent ; sed assiduum lectioni et scriptioni navarent operam , à quibus immunem non se judicavit vir tantus et à Deo inspiratus , totque laboribus pro fide susceptis distractus. Denique amicæ salutationes , quæ toties apud Paulum currunt , tenerrimæ sinceræque illius charitatis signa sunt , quæ nascentem Ecclesiam tantoperè illustravit. Qui eas superfluas arbitrantur , legant

Chrysostomum. (*Homil. in cap. 16. Epist. ad Rom.*)

Obj. 3^o. Multa legere est in Scripturis dubia et incerta , qualia sunt ista : *Mansit Maria cum illa* (*Elisabeth*) *quasi mensibus tribus.* (*Luc. 1. 56.*) *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.* (*Luc. 3. 23.*) Atqui res non ita esset , si Scripturæ quoad singula fuissent à Deo inspiratæ ; ergo , etc.

Resp. Neg. maj. Fatemur quidem nonnullas in sacris Codicibus occurrere circumstantias minus strictè et disertè definitas , quales præsertim sunt quæ numero spectant : at simul contendimus in his nihil esse dubium , nihil incertum. In loco , v. g. proposito , aliisque similibus particula *quasi* dubitationem circa rem ipsam quæ memoratur , non importat , sed idem significat ac *circiter* , ita ut sensus sit , Mariam apud Elisabeth commorantem esse tribus circiter mensibus : porro in illa narratione nihil est ambiguitatis , quamvis res disertius describi potuerit ; quasi verò non possit Deus pro suo arbitrio rem plus minusve revelare ? quasi verò non soleat Spiritus Sanctus ac usitatum apud homines loquendi modum sese demittere et accommodare ?

Obj. 4^o. Si inspiratione divinâ sacri Scriptores excitati fuerint , nullus ipsis esse debuit in scribendo labor , nulla meditatio , nulla industria : atqui tamen ingenuè fatetur autor libri 2. Machab. se multum desudasse , ut opus suum perficeret : *Negotium* , inquit , *plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus.* (*Cap. 2. v. 27.*) Ergo , etc.

Resp. Neg. maj. Inspiratio enim à conquirendi , seligendi meditandique curâ et studio non prorsus liberat , quemadmodum gratia , etiam efficacissima , licet faciat ut faciamus , humanos tamen conatus non excludit , sed perficit. Cum Apostoli in Concilio Hierosolymitano controversiam circa cæremonias legales motam definierunt , nonne ita à Spiritu Sancto impellebantur , ut dixerint : *Visum est*

Spiritus Sancto et nobis? (Act. 15. 28.) Atqui tamen à labore, et meditatione non abstinuerunt, ut sic legitur: *Cum autem magna conquisitio fieret.* (Act. 15. 7.) Ergo divina inspiratio vel motio non omnem excludit laborem, inquisitionem et diligentiam.

Præterea diverso modo sacris Scriptoribus adfuit Spiritus sanctus, prout varia rerum quas scribebant argumenta postulabant. Prophetarum, v. g. proprium munus fuit populum duræ cervicis increpare, arguere, futura prædicere, divinam vindictam denuntiare, etc. quæ ut præstarent, ipsis opus erat ardentiori stylo, figuris gravioribus, et oratione magis concitata, idèdque vividiori vehementiorique Spiritus Sancti afflactu. Aliorum autem Scriptorum, qualis fuit autor Libri secundi Machabæorum, institutum fuit historias, moralesque sententias describere; quod materiæ genus omnino decet simplex et tranquilla oratio; idèdque ipsis non opus erat nisi leni, placidoque Spiritus Sancti illapsu, qui se muneri et statui scriptoris accommodaret. Idcirco plus laboris, meditationis, et industriæ adhibuerunt hujusmodi Scriptores.

Obj. 5°. Multa reperias in utroque Testamento, quæ Spiritus Sanctus suggerere non potuit; talia sunt in Veteri maledicta, quibus David suos inimicos passim insequitur; tale est in Novo grande convicium, quo Paulus summum Sacerdotem, cujus jussu percussus fuerat, *parietem dealbatum*, vocat, cujus facti ipsum poenituit; ergo Scriptura quoad singulas partes non fuit inspirata.

Resp. Neg. ant. Quæ enim duriora videntur Davidis verba, ipsius inspirationi non derogant; siquidem ea non vindicta, sed ardentissimus justitiæ amor dictavit: caritas enim suos habet aculeos; pungit ipsa, quamvis amicè; arguit, increpat, etiam importunè. Nonne Christus, aliàs tam misericors tamque patiens, Pharisæos et Scribas iisdem ferè maledictis, quibus suos inimicos David, lacessit? Nonne eos vocat stultos,

cæcos duces, hypocritas, parietes dealbatos, et genimina viperarum? Nonne adversus eos anathema pronuntiat? *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ.* (Math. 23. 15.) Atqui tamen, juxta adversarios, hæc Christi sanctitati nihil detrahunt. Hinc igitur concludendum est acerbos hujusmodi sermones, quibus David, alique viri boni in malos et impios invehuntur, non esse imprecationes, et maledicta in propriè sumpta, quæ vindictam spirent; sed admonitiones, sed impendentium malorum, nisi convertantur, propheticas comminationes. Ita respondet Augustinus ad illa verba: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* (Psal. 78.) *Ista*, inquit, *prophetatio est, non optatio.*

Quod spectat ad factum Pauli, etiamsi humano affectui tribuendum esset, nihil indè contra divinam sacri Scriptoris autoritatem inferri posset, debuit enim Lucas rem, ut gesta erat, narrare. Paulus autem eo in loco non agebat ut Scriptor sacer. Hoc responsum est Hieronymi. (Lib. 3. contra Pelagianos.) Quæ in re consentientem habet Chrysostomum. (Homil. 49. in Act. Apost.) Fatendum tamen est nihil in ea agendi ratione Pauli videri, quod à Spiritu Sancto alienum sit: quidni etenim liceat ex justitiæ amore, injustam sententiam exprobrare judici, quem Sacerdotum Principem esse ignoraveris? Quidni, postquam summum Sacerdotem esse noveris, ex reverentia ipsi debita volueris non dicta, quæ contra judicem iniquam justè dicta fuerant? In his duobus sane nihil est quod jure tanquam malum argui possit.

Obj. 6°. Autores sacri aliundè quàm ex afflactu divino ut scriberent, excitati sunt: ad illud enim Marcus ab ætatis suæ fidelibus inductus est, ut affirmat Clemens Alexandrinus (Apud Eusebium lib. 2. hist. cap. 15. p. 53.) Sanctus Joannes ab Asiæ Episcopis ad scribendum impulsus fuit, teste venerabili Beda (Cap. 1. in Joan. tom. 5. p. 452. edit. Colon. 1612.) Lucas autem aliorum qui jam

scripserant exemplo se ad scribendum fuisse adductum, sui Evangelii initio confitetur; sacri igitur Auctores, Deo inspirante, non scripserunt.

Resp. Divinam operationem non excludunt piæ fidelium postulationes. Quinimò Dei Spiritus, qui ubi vult spirat, sancta hæc desideria in fidelium cordibus formaverat, quorum occasione scriptores sacros intus excitabat. Sanctus enim Clemens Alexandrinus sic habet apud Eusebium: *Joannes omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliiis, ea quæ ad corpus Christi pertinent tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus spirituale Evangelium, familiarium suorum rogatu conscripsit.* (*Lib. 6. hist. cap. 14. p. 216.*) Inde patet Sanctum Joannem, dum fidelium precibus ad scribendum impelleretur, divino etiam Spiritu afflante, Evangelium suum conscripsisse. Idem de Marco, Lucâ, Matthæo sentiendum est, qui Spiritu Sancto, sicut et alii Apostoli, repleti fuerant.

Obj. 7^o. Apud Matthæum multiplex errorprehenditur. 1^o. Enim sic narrat: *Et veniens (Jesus) habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazareus vocabitur;* (*Cap. 2. v. 23.*) quod tamen testimonium in nullo Propheta reperias.

2^o. De agro triginta argenteis à Juda proditore redditis empto, sic habet: *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: et acceperunt triginta argenteos pretium appreciati... et dederunt eos in agrum figuli.* (*Cap. 27. v. 9. et 10.*) Testimonium verò illud non Jeremiæ est, sed Zachariæ. (*Cap. 11. v. 12.*) Matthæus igitur in conscribendo Evangelio non fuit à Deo inspiratus.

Resp. ad 1^{um}. cum Jansenio Yprensi, Evangelistam plurali numero loqui, per *Prophetas*, ut observat Hieronymus, quia nullum apud Prophetam extat hoc testimonium, quoniam *Nazareus vocabitur*, sed tantum res isto nomine ex-

pressa. Triplicem quippè sensum admittit vox Hebraica *Nazareus*, sive *Nazir*. Vel enim hominem ab omni inquinamento segregatum, vel rejectum à fratribus, vel Salvatorem hominum significat. Quæ tria Christo maximè conveniunt, et ab Isaia potissimum prædicta sunt: (*cap. 11. v. 1. et cap. 53. v. 3.*) verè ergo dixit Matthæus in Christo impletas fuisse Prophetias, quæ de eo rem hoc nomine *Nazareus* significatam prænuntiaverant.

Resp. ad 2^{um}. id esse Matthæo plurimum familiarè, ut Prophetas alleget, prætermisissis eorum nominibus: suo quippè in Evangelio, inquit D. *Bullet*, Prophetas tredecies allegat, et quater tantum ipsorum nomina exprimit. Quinimò in ipso capite 27 de quo hic agitur, alium citat Prophetam cujus nomen silet. Maximè igitur verisimile est Matthæum, pro suo more, dixisse: *quod dictum est per Prophetam*, et scribam aliquem sui exemplaris margini attexuisse *Jeremiæ* nomen, ex quo locum istum fuisse depromptum existimabat; inde postea in ipsum textum irrepsit. Cui conjectationi plurimam vim addit Augustini testimonium, qui asserit Latina quædam esse exemplaria, in quibus *Jeremiæ* nomen non legebatur, sed ista tantum verba extabant: *quod dictum est per Prophetam* (*Lib. 3. de consensu Evang. cap. 7. n. 20. pag. 114. tom. 3. 2. part.*) Testatur doctissimus *Mill*, plurima esse exemplaria Græca, Latina, Syriaca, Arabica, è quibus abest *Jeremiæ* nomen. Exulat etiam à codice manuscripto et antiquissimo, qui in Abbatia gallicè dicta *Saint-Germain-des-Prés*, servatur. Notat Deniquè Jansenius Episcopus Yprensis, suâ ætate extitisse tum Romæ, tum in Belgio codices manuscriptos, in quibus non occurrit *Jeremiæ* nomen. (*Jansen. in Evang.*)

Obj. 8^o. Sanctus Marcus sic habet: *Sicut scriptum est in Isaia Propheta: ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini.*

(*Cap. 1. v. 2. et 3.*) Constat verò priorem hujus Prophetiæ partem non esse Jeremiæ sed Malachiæ. (*Cap. 3. v. 1.*) Idem Evangelista Christum inducit Judæos sic interrogantem : *Nunquam legistis quid fecerit David, quando esuriit ipse et qui cum eo erant? Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar Principe Sacerdotum, et panes propositionis manducavit?* (*Cap. 2. v. 25 et 26.*) Atqui factum illud non contigit sub Abiathar, verum sub Achimelech ejus patre, ut patet ex lib. 1. Regum, cap 21.

Denique ita narrat : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum* (*Cap. 15. v. 25.*) Joannes autem alter Evangelista, refert id contigisse horâ quasi sextâ (*Cap. 19. v. 14.*) Numquid verò res adeò falsas et secum pugnantes dictare potuit Sanctus Spiritus?

Resp. ad 1^{um}. Marcus utramque Prophetiam, scilicet tum Malachiæ, *Ecce ego mitto Angelum meum*, etc. tum et Isaïæ, *Vox clamantis in deserto*, etc. simul jungit, et Isaïæ, tanquam illustriori, attribuit. 1^o. Quia Joannes Baptista, cujus prædicationis exordium ibidem narrat Marcus, Isaïæ vaticinio potissimum designatur. 2^o. Quia Malachiæ oraculum in verbis Isaïæ quoad sensum continetur : licet enim vocibus discrepet utriusque Prophetia, eadem reipsâ est. Vox quippè Joannis, velut Angeli in deserto clamantis, illa ipsa est quæ ante Christum viam præparavit. Ita respondent Patres Græci Porphyrio, qui objiciebat Evangelistam ex imperitia, quasi ab uno dictum, referre quod à duobus Prophetis scriptum fuerat.

Resp. ad 2^{um}. Citra errorem dicere potuit Marcus Davidem panes propositionis sub, id est. tempore Abiathar manducasse; vel quia Abiathar filius Achimelech præsens aderat, cum David sanctos panes, urgente fame, comedit; vel quia binominis erat Achimelech, dictusque etiam Abiathar.

quod sacris in litteris est frequentissimum; vel quia fieri potuit, ut pater et filius Sacerdotio simul fungerentur, sive propter patris senium aut impotentiam, sive alia de causa : sic enim Sadoc et Abiathar sub Davide simul summos fuisse Sacerdotes colligitur ex Lib. 1. Paral. cap. 15. v. 11. *Vocavitque David Sadoc et Abiathar, Sacerdotes.*

Resp. ad 3^{um}. inter se non pugnare Marcum et Joannem, dum tempus assignant quo Christus in crucem sublatus est. Quod ut probe intelligatur, exponendum est quas in partes diem Judæi dividerent. Rem ita explicat D. Rivard.

*Les Juifs et les Romains divisoient le jour artificiel, ou le temps pendant lequel le soleil demeure sur l'horison, en quatre parties ou quatre heures principales, qu'ils nommoient Prime, Tierce, Sexte et None. Pour entendre en quel moment commençoit et finissoit chacune de ces heures, il faut concevoir le jour artificiel partagé en douze heures égales. Cela posé, la premiere des quatre, ou Prime, commençoit avec la premiere des douze, au lever du soleil; Tierce commençoit à la fin de la troisieme; Sexte à la fin de la sixieme ou à midi; None à la fin de la neuvieme. D'où il paroît que chacune des quatre en contenoit trois des douze. L'Eglise se sert encore de ces quatre heures principales pour la récitation de l'Office Canonial. (*Traité du Calendrier, p. 3.*)*

Itaque scribit Marcus Christum fuisse horâ tertiâ Crucifixum, quia apud Judæos hora tertia pro trahebatur usque ad horam sextam, sive incipiebat ab hora nona matutina, et desinebat in meridie. Christus igitur, juxtâ Sanctum Marcum crucifixus est hora tertia, id est, sub finem horæ tertiæ, et jam instante horâ sextâ. Quâ in re consentit cum S. Joanne, qui narrat Christum in crucem actum fuisse horâ quasi sextâ.

Obj. 9^o. Act. cap. 22. v. 27. Paulum sic interrogat Tribunus : *Dic mihi si tu Romanus es?*

at ille dixit : etiam : quâ in re mendacii convincitur Paulus. Tarsis enim in Cilicia ubi natus erat, Colonia Romana non fuit, nisi centum post Christum annis, ut contendunt Cellarius (*Geograph. lib. 3. cap. 6. tom 2. p. 153. edit. Amst. 1706*) et Grotius, (*Comment. in Act. cap. 22.*) Numquid autem afflatum à Deo dixeris scriptorem tanti mendacii reum?

Resp. Inter eruditos, alii Tarsim Pauli patriam, ob fidem Julio Cæsari servatam, ab ipso Romanæ civitatis privilegium accepisse affirmant; ita Spanhein (*Lib. 9. de præstantia et usu numismatum, dissert. 9. pag. 183. edit. Amst. 1671.*) quo posito, nulla superesset difficultas; alii verò id negant.

Quidquid autem ea de re sentiant eruditi, certum est potuisse Paulum esse civem Romanum. Multi enim vel rebus præclarè gestis, vel pecuniâ jus illud obtinebant. Id constat ex ipso qui obicitur loco. Tribunus quippè ait Paulo : *Ego multâ summâ civitatem hanc* (nempè jus civis Romani) *consecutus sum.* (*Ibid. v. 28.*) Quidni ergo potuit Apostoli pater aut avus honorem illum acquirere? Plurimos Judæos fuisse cives Romanos, probant multa et urbium et Proconsulum decreta, quæ refert Josephus (*Antiquit. Judaic. lib. 14. cap. 10. p. 703.*) jure civitatis (*droit de cité*) etiam sub Augusto Romæ fruebantur Judæi. Philo enim in sua ad Caium Imperatorem legatione asserit, ab eo Principe Judæos hoc jure non fuisse exutos, et partem habuisse in muneribus, quæ Imperator ille civibus Romanis distribuebat. Quâ igitur fonte ausus est autor nefarii operis, cui titulus : (*Examen important*) tantum Apostolum insignis mendacii accusare?

Alias difficultates plurimas jam dissolvimus in Tractatu de Religione, ubi sacros Codices esse authenticos, integros et veraces demonstratum fuit. Singulas autem expendere nostri non est instituti. Id unum generatim adjiciemus, non scilicet divinam

divinam esse Scripturarum autoritatem ita existimare, ut tamen non diffiteamur sacros quibus utimur Codices, in quibusdam levioribus, quæ ad fidem et mores non pertinent, ab ipsis autographis discrepare posse : sacris enim Codicibus in longa seculorum serie idem contigit, quod Scriptis profanis; ut scilicet menda quædam ex amanuensium oscitantia, vel imperitia irreperent : itaque nisi homines increduli quos impugnamus, probaverint primigeniam Scripturæ lectionem eam esse, quam falsam suspicantur, tamdiù licebit transcribentium incuriam accusare, et mendosum codicem arguere, non imminutâ Scripturarum divinâ autoritate : si enim inter variantes Ciceronis v. g. operum lectiones quas collegit Grævius, occurrant pugnantes et falsæ, licet nemo contendat hinc nutare Ciceronis operum autoritatem, cui menda quædam levia nihil detrahunt; cur non fas erit idem de Libris sanctis asserere? Illud jam pridem ab Augustino contra Faustum observatum fuit : *Ibi* (in Scripturis) *si quid absurdum moverit, non licet dicere : autor hujus libri non tenuit veritatem; sed, aut codex mendosus est, aut interpret erravit, aut tu non intelligis.* (*Lib. 11. cap. 5.*)

CAPUT II.

De modo quo Scriptura sacra fuerit inspirata.

EA de re diversæ sunt Theologorum opiniones : sunt enim qui Spiritum Sanctum sacris autoribus sic adfuisse putant, ut tum res, tum singula verba ipsis suggesserit; ita Theologi Lovanien ses et Duracenses in celeberrimis censuris anno 1588